exercitui suo intendit ascribere. perdocet manus tuas ad prelium et digitos tuos
ad bellum. ut scias stare in prelio pro domo domini. Accedit et ad tuitionem cedit ut ex hoc
et quam difficilis sit potestas cum qua egrederis. infirma tua munimentis suis
circumtegit. ut quod in persona pugnantis deest. suppleatur in armis. Mittit
enim per imperatorem suum paulum. loricam. et scutum. et gladium efficacem. qui penetrabilior
omni acie divisionem facit animae ac spiritus. Ad ictum cuius cum eum dominus vibrare
voluerit nulla creatura insecabilis est. qui cum ad penetrandum dirigitur non
resistit durum. nec ullo solido hebetatur. omnia patula et manifesta sunt ei. Et hec
profecto arma numquam prestare nisi filiis consuevit. Vis igitur scire si filius eius sis.
si de semine regio sis. si doleas iniuriam eius. Cum quo confligis contrarius est operibus
eius. immo inimicus generis tui est. sanguinem tuum sitit. et gratuita malitia
preparatam hereditatem tibi molitur preripere. Ad hec causa honesta est quam
defendis. securum est negotium quod portas. defensor et iudex tuus est ante cuius
tribunal declamas. qui ex adverso agit odiosus est omnibus et immunditias
ante te causas contumeliosissime infamavit. In veritate non stetit. sed ex propriis
mendacium loquitur et subgerit. qui primus mendacitatis commenta spiritu erro-
ris cuius ipse infectus est in alios quoque grassatur [illegible] consiliorum suorum
confusio. et [illegible] sibi [illegible] maius est. Contra discretiones quarum
perpetua illi pugna suscepta est et ideo necesse habet multiformem [illegible] in
diversas species transformari. ut patenter deprehensus latenter subrepat. et cum
invenitur leonis sobrios et vigilantes devorare non prevalet. mutatus ipse
serpentem que specialiter a principio aptior est. querit foramina cordis huma-
ni. per que admixtus subtiliter et tacitus illabatur. Ubi si semel aditum invenerit.
primo recepto introitu. caput callidum infundit. donec universus decepti
hominis coalescat. et virus malignitatis sue confundat vitalibus eius. Legisti